



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi  
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ  
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque  
Ecclesiæ Præcepta**

**Tamburini, Tommaso**

**Dilingæ, 1697**

Caput IV. De Communione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40032**

## CAPUT IV.

### De Communione.

*Quando?*

1. **S**oleat Communio fieri die Dominico sequenti ad hebdomadam electam; verum, ut innui cap. præcedente, potest illa fieri etiam in tota illa hebdomada à te electa, qui dies Dominicus assignatur de consilio, non de præcepto.

*Qui communicare debent?*

2. **C**ommunio est omnibus necessaria ad lucrandum Jubilæum, etiam pueris, qui per ætatem possunt: alij autem, ut patientibus tussim, vel vomitum, vel similibus, quibus communicare integrum non est, commutetur illa à Confessariis.

*Communio Sacrilega?*

3. **C**um status gratiæ requiratur in ultimo opere, ut supra sæpe diximus; Communio ultimo facta à gravato mortalibus, cùm sit sacrilega, nec ponens hominem in gratia, non sufficit ad Jubilæum acquirendum.

*Impediti cum culpa, vel sine culpa.*

4. **V**ires, qui aquam v. g. bibit in ultima Dominica, quando suscipere debebat sacram Eucharistiam, quid faciet, ut Jubilæum lucretur.

5. Respondeo. Si per incuriam in culpabilem bibit, non est dubium, quod possit à Confessario obtinere commutationem communionis in aliud

diem: si verò per incuriam culpabilem, quamvis aliqui negant, Fillius tamen, quem sequor, ait: etiam posse, eum à Confessario impetrare commutationem in aliud opus; vel melius, posse recipere dilationem in alium diem. Ratio est, quia tenor Jubilæi concedit, posse commutari à Confessario omnia opera ei, qui est impeditus: at hic in præsenti jam impedimento subjectus est, & antequam spiret tempus Jubilæi, commutationem postulat, ergo, &c.

6. Propter paritatem rationis idem dic de eo, qui noluit jejunare in tota hebdomada, vel noluit alia opera imposita peragere; & antequam spiret tempus, ad Confessarium accedit, significans cum pœnitentia prædicta nolitionis desiderium acquirendi Jubilæum. Et dic etiam idem de illo, qui forte in ultimo die notitiam habuit promulgati Jubilæi, & suum desiderium acquirendi manifestat Confessario; dic, inquam, posse in utroque casu, Confessarium commutationem his concedere, sunt enim secundum præsentem statum impediti.

## CAPUT V.

### De Visitatione Ecclesiæ.

*Quæ?*

1. **V**isitanda est Ecclesia, tanquam unum opus ex injunctis, solet autem esse una ex necessitate, quam quis elegerit ex assignatis ab Ordinario loci; plures enim assignantur pro comodi-